



literis publicis istam donationem Praefecti Regii simulque Senatus urbis confirmarunt; solius tamen Senatus sigillo Diplomati huic appenso (d).

Et mirum eo tempore, quo Adolphi et Alberti Imperatorum bellis cruentis, in Misnia gestis, urbes ubique destructae, villae devastatae, homines trucidati, et negotia, unde opes comparantur, maxime impedita erant, urbem nostram ciues adeo opulentos aluisse, ut summam D.C.XXXI. Ioachimicis nostris aequiparandam, rebus sacris impendere potuerint, praesertim cum ea pecunia non pro nostri sed istius temporis ratione aestimanda sit: tunc enim neruus rerum gerendarum rarior, praetia rerum viliora, et praedia minoris iudicata fuerunt.

Quo etiam statu res iudiciaria iustitiaeque administratio Sec. XIV. Zuiccaviae fuisse videtur, cum ea serenissimis Misniae Marchionibus parebat. Etenim hoc quoque tempore, uti antea, sub Romanorum Imperatorum Dominio, Diplomata Aduocatorum et Senatus nomine simul conscripta inueniuntur. Id quod ex literis Notarii cuiusdam, anno M.CCC.LXXX. Cizae datis, clare elucet, in quibus Notarius ille publicus confitetur, *se literis et scriptis Aduocati et Scabinorum ciuitatis Zwickaw instructum et informatum esse, Conrado cuidam Marquardo curiam non nullam dictam, der innere Hof in ciuitate Zwickau assignatam esse* (e).

(d) Vid. Christ. Schlegel de nummis antiqu. Gothanis Cygneis Copurg. etc. p. 141. Huius Dipl. initium hoc est. Nos Cunradus et Fridericus Advocati in Zwickowe Cunradus de Salburg magister ciuium, (hoc nomine tunc is vocabatur, quem nunc Consulem dicimus) Theodericus de acie, Henricus Croner, Nicolaus Grarok, Nicolaus Leibenicht, Henricus Monetarius, Petrus Ottonis, Petrus Wigandi, Auidera dictus Scultetus, Henricus Guthele, Henricus de Kemnitz, Cunradus de domo lapidea, Consules, (quo nomine Senatores intelliguntur) eiusdem ciuitatis etc. In hisce literis undecimus numerus Consulium notati meretur. Quo nomine Scabini, eiusdem forsan in urbe nostra cum Senatoribus autoritatis,

intelligi nobis persuademus. Tot enim Scabini, praeter iudicem et regium Aduocatum, tunc temporis iure Germanico in iudiciis maiorum urbium requirebantur; et in Saxonia quidem, uti apparet, ex Artic. X. et XVI. Iur. Saxon. Municip. in Suevia uti cognoscitur ex ordinatione iudicii prouincialis in Sueuia, de quo vid. B. G. Struuii Histor. I. Cap. VI. §. 31. pag. 509. Zuiccaviae igitur tunc temporis fuit iudicium rite constitutum, moribus Germanorum conforme, et cum iis, quae in celeberrimis Germaniae urbibus, Magdeburgi imprimis, inueniebantur consentiens.

(e) Quarum liter: *αυτογε*. in Bibl. nostra publica asseruatur.